

5. Nec quæritur: an aliquis de eò tantùm certus sit, *quod sibi possint remitti peccata*, quod Pontificii concedunt; sed: an etiam certus possit esse, quod *actu sibi sint remissa peccata*? quod nos affirmamus, illi negant.
6. Defendimus tamen certitudinem *non absolutam, sed ordinatam*. Semper hæc certitudo includit *τὸ μέτρον* mediolorum, quam si quis negligit, nec certus esse potest de suâ justificatione.
7. Certitudo illa non tam ponitur *ex necessitate consequentis*, quam *consequentia*. Prior tantùm locum habet in Theoreticis, & dependet à causis, v. g. *omne materiatum est quantum*. Hanc nos hõc locõ non cogitamus. Quando Pontificii nos oppugnant, hoc urgent, quod non per practicum syllogismum possim certus esse de meâ justificatione. Sed dico distinguendum esse inter necessitatem consequentis & consequentiæ. Licet non illa, tamen hæc præsto est. Hic licet in tali syllogismõ major semper fiat conditionata, nam sic argumentamur: *Si verè & sincerè credo, remittuntur mihi peccata &c.* Minor tamen semper fit categorica, & sic certa conclusio necessitate consequentiæ emergit.
8. Fundamentum hujus certitudinis *non sunt propositiones singulares, sed universales*. Nullibi lego: *Petrus, Paulus, Jobannes, &c. est justificatus*, & tamen doctrina ipsa est certa. Interim hanc lego propositionem: *Quicumque crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Ejusmodi propositio est fundamentum certitudinis, quatenus in hæc omnes singulares (virtualiter) continentur.

#### V. Ad necessitatem doctrinæ.

1. Hõcipsõ indico, quod articulus de justificatione sit maximè fundamentalis & formalis etiam.
2. Distinguendum inter ea, quæ ad *substantiam*, & quæ ad *circumstantias* dogmatis hujus pertinent. Habemus hîc quoque circumstantias, secundum quas fides nostra sumit incrementum. Priori modõ hic articulus est simpliciter necessarius, non *quoad omnes terminos*, sed *quoad rem*.
3. Necessaria est hæc doctrina, non quod damnemus omnes *infirmiores* etiam inter *Pontificios, Calvinianos, &c.* viventes, sed *seducen-tes* potissimum, qui à damnatione nullõ modõ possunt excludi.